



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum Principis, Eivsqve Svccessorum
Vitae, Ac Doctrina, Ipséque Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basel], [1543]

VD16 VD16 K 2583

Laudes Christi ex Alchoran, & ostensio diuinitatis eius. 12

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98259)

QVOD CHRISTVS NON SE NOMINAT DEVM,

sed Dei filium. Cap. XI.

ADhuc attente considera fidem Christianam esse, patrem omnipotentem esse Deum creatorem, & CHRISTVM, illum Deum nominare suum patrem. At enim in euangelio ad Iudaeos: Est pater meus, qui glorificat me, quem uos dicitis, quia Deus uester est. Ille bene intelligit CHRISTVM non se Deum nominasse, quia se patrem suum nominasset. Ostendit autem se satis filium Dei, quando illum semper patrem nominauit, quem Iudaei Deum dixerunt. Vnde Dei filium se non Deum, sed Dei filium appellat. Est igitur CHRISTVS filius Dei patris, & non Deus pater. & est uerus filius dei patris, ideo & consubstantialis patri: licet non alius Deus, quam pater. Vnde CHRISTVS non est Deus pater creans omnia, sed est Dei patris uerissimus filius, eiusdem naturae cum patre, per quem Deus pater creat omnia. CHRISTVS igitur non est nisi Dei filius unigenitus, & hinc eiusdem essentiae & naturae cum deo patre: cum hoc sit de natura filij patris, ut sit cum eo eiusdem essentiae & naturae, uti filius hominis est eiusdem essentiae et naturae cuius est pater eius, eiusdem scilicet humanae naturae: sed essentia humana non est idem cum homine, ut tamen essentia diuina est idem cum deo, ob simplicitatem maximam diuinitatis. Ideo filius hominis licet sit eiusdem naturae humanae cum patre, non tamen idem homo, sed alius. Filius autem dei est idem deus cum patre, & non alius. Haec clarissime sacrum euangelium reuelat, quod Alchoran approbat in genere, & ei in specie non contradicit, ut ex sequentibus ostenditur.

LAUDES CHRISTI EX ALCHORAN,

et ostensio diuinitatis eius.

Cap. XII.

SCribitur enim in Alchoran, Mariae uirginis filium IESVM CHRISTVM esse, sper haec uerba: O Maria, omnibus mulieribus et uiris splendidior, mundior, atque iocundior, tibi summi nuncij gaudium cum uerbo dei, cui nomen est IESVS CHRISTVS, qui est facies omnium gentium in hoc saeculo atque futuro, sapiens uir, optimus ab uniuersitatis creatore mittitur. Illa respondit: O Deus, cum uirum non tetigi, filium quomodo habebō? Inquiunt angeli: Deo nihil occurrat impossibile, omnia ut uult operanti, ipse filium tuum cum diuina uirtute uenientem, librum legiferum, omnisque magisterij peritiam, & testamentum & euangelium edocebit. Ille caecos & mutos curabit, morpheaticos et leprosos mundabit, mortuos creatore cooperante uiuificabit: quae cuncta a credentibus in deum miracula censentur, uetus testamentum confirmabit. sequens cum diuina uirtute uenisse patefaciens, inquit: Timentes Deum, me sequamini. Deus enim mei uestrique dominus est, quem adorantes, recto procedunt tramite. Iterum alibi sic: IESVS Mariae filius, Dei nuncius, spiritus, & uerbum Mariae coelitus missum existit. Ecce IESVS, ecce Messiam seu CHRISTVM, & uerbum Mariae coelitus missum, hoc est a deo coeli missum: quare eiusdem naturae, cuius deus mittens. Non enim dici potest, quod diuinum uerbum, cum sit dei uerbum, sit aliud quam deus simplicissimus. Deus enim, & suum uerbum, non sunt duo diuersa, sed idem Deus simplicissimus. Sic igitur pater, Deum mittentem, & suum uerbum missum, esse eiusdem naturae diuinae: sed cum mittens Deus non seipsum mittat, nec alium deum mittat, non erit mittens missus, nec alius deus, deus mittens, & alius missus.

Verbum Dei idem
de quod deus.

F A